



**S**anctus Vergilius diuinarum & humanarum rerū peritissimus fuit. Is primò ad Carolomanum & Pipinū duces Francorū accessit. Ibi ob eruditionem & prudentiā breui principibus insinuat, in eorū aula acceptissimus fuit, atq; per biennium cū ipsis perseuerauit. Inde in Boiariā ad Vtilonē regulū missus, in maximo quoq; honore extitit. Itaq; cū Ioan. moreretur, Salisburgi pastor declaratus est. Eā uocationē magna cū laude peregit, atq; apud omnes celebre sibi nomen comparauit. Erat tū in Boiaria sacerdos quidā Latini sermonis ignarus. is religionis cādidatos lustrat his uerbis: *Baptizo te in nomine patriæ, & filie, & spiritus sancti.*

S. Bonifacius illos ceu pphanos abominabatur, & tales rebaptizandos censebat. Verū S. Vergilius & Sidon. præsul Bathauiensis fortiter resistebant. nam eos p Christianis & rite lustratis habebāt. Hoc modo lis illa ad Pontificē peruenit. Zacharias ergo Pontifex Bonifacio rescripsit, & Vergilij sententiā approbauit. Siquidē sacrificulus ille ob inscitiā Latinarū duntaxat literarū, absq; omni fraude & dolo malo, ita lapsus sit, nec aliquam fallaciā errori intenderit.